

Andreas Helvigius Johann Reutze

Disputatio Anniversaria Ethica: De Semivirtutibus Hoc Est, De Viis Ac Gradibus Ad Virtutem; Et De Eiusdem Perfectione, Quae Dicitur Virtus Heroica

Rostochi[i]: Pedanus, [1614]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729137058>

Druck Freier  Zugang



A. Kelovigius.
R. U. phil. 1614.

Disputatio Anniversaria
ETHICA:
De
SEMIVIRTUTIBUS.

HOC EST, DE VIIS AC GRADIBUS AD VIR-
TUTEM; ET DE EJUSDEM PERFECTIONE,
QUÆ DICITUR VIRTUS HEROICA:

Quam

DIVINO ADSP. RANTE NUMINE,

In almâ Rosarum Academiâ publicè
examinandam proponit,

M. ANDRĒAS HELVIGIUS, P.L.
& Pœtesos Professor publicus.


Respondente

JOHANNE REUTZEN, Rostochiensis.

Aristot. lib. 2. Eth. Nicom. cap. 3.


Διὸ δὲ ἤχθαι πῶς ὄντος ἐν νέων, ὡς ὁ Πλάτων
Φησὶν, ὥστε χαίρειτε καὶ λυπῆσθε εἰς δαί. ἢ γὰρ
ἐρητὴ παιδεία αὐτῆ ἐστίν.

Habebitur in Auditorio magno ad 29. Januar. Anno
à sanctâ nativitate Jesu Mediatoris.



ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani, Acad. Typ.





*Magnifico, Clarissimis, Excellentissimis, atq; Doctif-
simis VIRIS,*

Dn. JOHANNI ASSVERO, Medicinæ Doctori,
ac Professori ordinario: Illustrissimi Principis ac Domini, **Dn.**
UDALRICI, Hæredis Norvegiæ, Administratoris Episcopæ Sveriaensis, &c.
Archiatro peritissimo, nec non Amplissimi Senatus Rostochiensis
Physico ordinario: pro tempore Academix R E-
CTORI dignissimo:

Dn. JOACHIMO Jungelaus J.U.D. Illustris. Prin-
cipis ac Domini, **Dn. JOHANNIS ALBERTI**, Ducis
Megapol, &c. Consiliario præstantissimo.

Dn. CHRISTOPHORO LUCOVLO,
J. U. Doctori consultissimo.

*Dominis Mecænatibus, promotoribus, & affinibus
meis æternum honorandis ac suspiciendis.*

S. D.

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Quid sibi nam quarant, qui nomen inane Sophorum
Captant, indocili dum inculcant prava juventæ
Dogmata, & hæc magè vera ajunt, quàm oracula Phœbi:
Felicem, statuunt etenim, diciq; beatum
Ante obitum nullum, supremaq; funera, posse.
At fallunt, & falluntur: ridetur anilis
Narranda antè focum gelido fabella Decembri.
Namq; hinc tot nugæ, tot & hinc absurda sequentur,
Quot vix sufficiat vestire oneraria puppis.
Quisquis enim virtutem agit, atq; operatur ab omni
Parte bonum, (civile bonum) civiliter ille
Censetur felix, & ab omni parte beatus.
Ergò quando brevis miseri lux occidit ævi,
Qui poteris virtutem agere, atq; operariæ æquum est

Id est

Id si non poteris, quæ stulte vocabere felix?
Ut mittam sexcenta alia: ô doctissime Solon,
Quid tibi tu placeas dicto hoc? nos sola beabit
Actio Virtutis, devotâ hanc mente colentes.
At quæ sit via, currenti virtutis ad arcem,
Quæ calcanda venit, chartâ præsentè docetur:
Quam nisi servâris, varijs erroribus actus
Turpiter, & dubia tu ambage ferere viarum.
Ecce autem, Clari, Præstantes, Magnificiq;
Ecce viri, Vobis, quæ cernitis, offero; Vobis
Consecro, dono, dico: donatum æquiq; boniq;
Consulte; utq; olim majora reponere possim,
Efficite: (efficietis enim, placuisse videbo
Si vobis, modò quæ dono) & me quæso favore
Prosequi & amplecti non desinitote. Valete.

JOHANNES Keuter/ R. R.

IN ΜΩΣΟΥ ΖΟΙΛΟΥ.

Ringere, carpe, move caput, improbe, & exere linguam,
Mome (vel ô potiùs More) quid ista moror?
Mopsus es, atq; rudis Melibæus, more nefando
Qui facta alterius, More jocose notas.
Moribus impurus, scripta ac conamina aliûs
Despicias, ac præfers, More supine, tua.
Nil moror insulsos, quos evomis ore latratus,
Et tua do rapidis verba ferenda Notis.
Non plus, quàm ventris crepitum, ancillamq;, foricam
Quæ lavat, ingenij scommata curo tui.
Quæ faciunt alij, subito tu corripis; ipse
Nil facis intereâ; quàm malè More sapis?
Invidiam hanc veteres quondam dixere CANINAM,
Cum noceas alijs, nec tibi proficias.
Nil ego sum, fateor: tu, qui mordesq; latrasq;,
Esse aliquid jam te dico; quid ergò? CANEM.

J. R. R. M. R.



Alias de habitibus perfectis actū, qui in hominem, ut homo est, cadunt; iisq; tum moralibus tum intellectualibus: nunc age consideremus vias & modos, qui hominem ad istos velut instruunt ac preparāt. Quandoquidē ad augustam illam Virtutis, honorū omnium regine arcem (quam in arduā rupe sitam dixit Simonides) non latā & expeditā viā curritur; sed adscensu difficili & arduo per quosdam quasi gradus conscendendum est. His itaq; presentem hanc collationem cum Deo tribuemus: postea de summā, & plusquam humanā Virtutis ac vitij perfectione quaedam adiuncturi.

THESIS I.



Ia *ἡρώων* seu affectionum, quibus ad virtutem veluti disponimur, duo sunt genera. Alia enim à naturā sunt; alia operā, consuetudine & industriā nostrā parantur.

II.

Qua à naturā, sunt vel affectus animi laudabiles, ut *Amor*,

mor, Verecundia, Misericordia, &c. vel instinctus quidam, & tanquam semina Virtutum, quæ diligenti studio sunt excitanda, & ad maturitatem provehenda. Qualia in infantibus etiam pueris quæ nonnunquam deprehenduntur.

III.

Quæ verò à nostro pendent studio, ea rectè afficiunt vel tò ἰσχυροτέρως, ut Continentia; vel tò ἰσποειδές, ut Tolerantia; vel utriusque conducunt, ut Obædientia.

IV.

Ab hac ut ordiamur, constat in Obædientiâ permultum esse ad Virtutem exercendam momenti, adeò ut in ipsius Prudentiæ (quæ Virtutis moralis actionem ad rectum vitæ hujus scopum dirigit) vicem succedere etiam videatur.

V.

Contrarium deprehenditur in Inobædientiâ: quæ omnes laudabilium actionum circulos turbat, & hominem prorsus reddit inutilem.

VI.

Continentia & Tolerantia (quibus opponuntur Incontinentia & Mollicies, tanquam ἡμιμνησίαι) imperfecti habitus vocantur: quod in ijs non plene vel ratio, vel affectus (ut in perfectis) dominantur; sed lucta quædam sit rationis & appetitus: ut si ratio palmam obtinuerit in voluptate, Continentia dicatur; si in dolore, Tolerantia: sin appetitus prævaleat in voluptate quidem, Incontinentia; in dolore verò, Mollicies appelletur.

VII.

Circa Continentiam & Incontinentiam tria proponit Aristoteles consideranda. 1. De scientiâ hominis incontinentis; an contra eam agat, nec ne? 2. De objecto seu materiâ Continentiæ & Incontinentiæ. 3. De ipsarum affectionum discrimine, quo & inter se, & à Temperantiâ atque intemperantiâ differant.

VIII.

Licet igitur, de sententiâ Socratis, contra suam scientiam peccare nemo possit: constat tamen, incontinentem partim scienter, partim inscienter agere & peccare. Illud, quia penitens haud ignorat, quid honestum aut turpe factu sit; hoc, quatenus animi perturbationibus & affectuum vi superatus, scientiam illam generalem singularibus actionibus, in quibus versatur, non applicat.

IX.

Scilicet variè afficitur incontinens. Nam ante agendum, scientiâ praeclusus est: in agendo, quum animum habeat affectuum fluctibus obrutum & perturbatum, similis ignoranti est: re deniq; peractâ, paenitudine ducitur, & paulo momento ad se se revertitur.

X.

Ceterum Continentia & incontinentia in voluptatibus corporis cernitur iis, quae ex alimoniis rebusq; venereis captantur: in quibus ipsis quoq; Temperantia spectatur & intemperantia.

XI.

Ut autem voluptatum istarum prodigiosa quaedam est varietas, ita nec unius tantum modi est Incontinentia. Nam vel humanitatis contingit, vel praeter humanitatem admittitur.

XII.

Illa ἡδὴ ἐνθουσιαστικὴ dicta, versatur in voluptatibus naturalibus iis, quae oriuntur, vel à rebus per se jucundis, tam animalibus brutis quam hominibus, sive omnibus, sive aliquibus tantum, pro naturarum ac temperamentorum varietate: vel à rebus ex accidenti ac propter aliud optabilibus; ut sunt quæstus, opes, honor, & victoria.

XIII.

Eadem hæc Incontinentia vel simpliciter & absolutè dicitur ea, quæ cernitur in voluptatibus necessarijs, & partim ad sustentationem individui, partim ad conservationem speciei pertinentibus:

mentibus: vel non simpliciter, sed secundum quid, ac minus proprie, quae sectatur voluptates non necessarias, perceptas ex rebus, non quidem ad vitae sustentationem pertinentibus, sed vitam quodammodo illustriorem reddentibus.

XIV.

Dicitur haec aliam $\tau\epsilon\sigma\sigma\eta\mu\lambda\omega$, eò quòd semper adjicitur ejus rei, circa quam versatur, mentio: ut lucri, honoris, iracundiae.

XV.

Alteram istam $\tau\alpha\epsilon\gamma\ \acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\alpha\nu$, h. e. plusquam humana Incontinentia, voluptatum est non naturalium, sed rerum suam naturam destabilium. Cujus una species est $\mu\epsilon\tau\omega\delta\eta\varsigma$, quae voluptatibus inquinatur planè belluinis. Quale illud est de Indis quibusdam, Callatiis dictis, quos Herodotus scribit parentibus suis vesci solitos.

XVI.

Secunda est $\nu\omicron\kappa\eta\alpha\tau\acute{\omega}\delta\eta\varsigma$, morbo contracta & insania, qualis (memorante Aristotele) fuit matrem suam immolantis ac comedentis; itemq; servi jecur depascentis. Accedit quandòq; etiam perversa consuetudinis induratio.

XVII.

Incontinentia differentias Aristoteles duas facit: $\mu\epsilon\tau\eta\eta\lambda\omega$, id est, procacitatem seu petulantiam; & $\acute{\alpha}\delta\acute{\epsilon}\nu\alpha\alpha$, id est, imbecillitatem. Quidam enim circa voluptates temerè atq; inconsultò versantur, cacà animi affectione ducti impulsq;: alii verò propter animi perturbationem in iis, quae deliberata erant, non permanentes, voluptati succumbunt facile.

XVIII.

Quorum hi illis deteriores meritò videntur, quod, cum illorum subiti impetus in culpam sint, hi praesentis jugum rationis praesentis animi mollicie excutiant.

IX.

Dehinc meliorem paulum judicatur esse loco Incontinentia, quam

quàm Intemperantia: quoniam illa affectus impetu rapitur; hæc
verò à ratione ac prudentia consilio de industriâ deficit. Istic ab
effectu superatur, aut potius prævenitur ratio; hic ne pugnat
quidem. Illam facti pœnitet; hanc juvat idem. Deniq; ad meliorem
illa frugem pervenit; hæc insanabilis est.

XX.

Sic & à Temperante differt continens. Nam in hoc sunt cu-
piditates prava; in illo non sunt. Est enim Continentia affectio
seu dispositio proba, qua quis pravas cupiditates in animo gli-
scentes, ratione temperat ac subigit.

XXI.

Huic in excessu opponitur ista, de quâ diximus antè, Incon-
tinentia: in defectu est nimia quædam atq; insolens natura di-
storta continentia, Cynica voluptatis fuga.

XXII.

Continentie quasi soror est Tolerantia seu patientia: quæ
& ipsa Obedientia filia, doloribus obsistit, ne frangant ani-
mum.

XXIII.

Ei contrariatur Mollicies, eaq; gemina: cùm voluntatis,
tùm nature. Illa nostra est culpa, qualis hominum delicatarum
ac voluptariorum: hæc præter nostræ voluntatis culpam accidit,
vel à natura temperamento, vel etate, vel sexu, vel morbo.

XXIV.

Verùm nec Mollicies nec incontinentia in virum pruden-
tem cadit. quæ possit enim? quando non scientiâ tantùm, sed
aëtionem potissimùm spectatur prudens; agendi autem studio de-
stituitur impotens animi.

XXV.

Et ut maximè detur aliquis incontinenter viventium, quæ
consilio polleat, ac feliciter cùm suam tum publicam rem admini-
stret: negabimus tamen veram hanc esse prudentiam; sed natu-
ralem quandam mentis solertiam in rebus dextrè gerendis, quæ

devo-

Deorum appellatur, qualis acrimonia saepius improbis inest ho-
minibus: cum prudentia non nisi in Viris sit bonis.

XXVI.

Haecenus de Virtutis & Vitij imperfectione. Restat etiam,
de summâ utriusq; perfectione pauca ut agamus: ea vel Heroica
seu divina virtus, vel Immanitas dicitur.

XXVII.

Est autem Virtus heroica, habitus quidam animi, non tam
humanâ comparatus industriâ, quàm divino quibusdam conces-
sus beneficio, ad ejusmodi suscipienda per agendaq; munera, quae
Viribus aliqui humanis haud conveniunt: idq; tantâ vi & ani-
mi dexteritate, ut vigor appareat plusquàm humanus, ac longè
major, quàm in reliquis hominibus, in eodem actionis genere
excellentibus, animadverti possit.

XXVIII.

Dicta est Heroica, quod non quibuslibet hominibus ea com-
petat, sed heroibus ferè: quomodo vetustas homines dixit
nobiles & illustres, qui mortales cum essent, rerum tamen à se
gestarum magnitudine ad Deos immortales proximè accedere
viderentur.

XXIX.

Habitus (inquam) est. Licet enim non desint, qui exi-
stiment, virtutem Heroicam in absolutâ omnium perturbatio-
nem evulsione positam esse: falluntur ii tamen, eò quòd à pi-
etate nemo in laude ponat, sed in vitio.

XXX.

Quid? quòd ipsam hominis naturam corruptum eat is,
qui affectiones prorsus eradicare velit. Deinde non relinquet
virtuti & laudi quasi campum, in quem excurrere, & ubi con-
spici illa possit.

XXXI.

Deniq; cives etiam sanctae Civitatis, (ut Augustinus loqui-
tur) in hujus vite peregrinatione secundùm Deum viventes,
B metuunt,

metuunt, cupiunt, dolent, gaudent: & quia rectus est amor eorum, has omnes affectiones rectas habent. lib. 14. de Civitate Dei, cap. 3.

XXXII.

Proinde ut alia Virtutes, ita Heroica quoque per Mediocritatem non incommodè definiuntur. Quia enim medium virtutis non aestimatur ex remissione & incremento, sed ratione utriusque extremi, à quo recedit: expeditum est, mediocritatem eis adimi non posse; sed modò eminentiori, quàm virtutibus communiter tribui solet. Sunt enim Heroica multò excitatiores, & firmiores habent impetus, quàm commune virtutum genus.

XXXIII.

Ille namque singularem & admirabilem naturæ præstantiam requirunt: quæ singulari Dei dono contingit, nec comparatur hominis industriâ vel disciplinâ. Reliquæ verò comparari à nobis possunt, & in nostra versantur potestate.

XXXIV.

Ille in paucos tantùm cadunt, per quos Deus vel Ecclesiam vel imperia ordinat atque gubernat. Reliquæ piorum honestorumque sunt omnium. Hæ longiore morâ, successuque temporis indigent, & eventu sæpè suo non frustrantur: Illa verò optatum exitum sine morâ consequuntur.

XXXV.

Etsi autem potissimùm in appetitu *ἰουμαχία* (cujus objectum gloria, honos, victoria, mors) virtus Heroica cernatur: id quod *ἀνδρεία* etymon, quâ Græci virtutem hujusmodi nonnquam designarunt, innuit:

XXXVI.

Tamen in omni laudabilium actionum genere esse & versari eam, certum est; nec ab humanâ verè, ac specie distinguitur.

XXXVII.

Sic Heroica ac plusquàm humana specimen justitiæ erat in
Mose.

Mose, Exodi 2. in Salomone 1. Reg. 3. in Aristide apud Diog.
Laërt. &c.

XXXVIII.

Abstinentia & sobrietatis exempla singularia sunt, Joban-
nes Baptista, Elias; & ex Ethnicis, Socrates, Romulus, Fa-
bricius.

XXXIX.

Liberalitatis verò admirabile exemplum est in Viduâ illâ,
Luc. 21. qua universam suam substantiam in Gazophylacium
conferebat: nec non illâ Sareptanâ, 1. Reg. 17. qua in fame
prius cibabat Eliam, quum ipsa ejusq; filius istis ciborum reliquiis
peropus haberent.

XL.

Sic aliarum in alijs Heroicarum virtutum exempla & olim
luxerunt, & hodie lucent. Neq; enim ita ἀνάτω ἐνάτω θεῶν
ἀνδρα credendum, ut vel ad aureum illud seculum cum Hesiodo,
vel omninò ad certas mundi etates Heroas omnes referamus avò
astringamus.

XLI.

Sed nec sexus hic differentiam facimus. Constat enim femi-
nas etiam his aliquando donis excelluisse: tametsi muliebris na-
tura & corpore sit imbecillior ferè, & animo levior, quàm virilis.

XLII.

Neq; fidelium hic est ab infidelibus distinctio. Nam & in
his illud virtutum heroicarum lumen (etsi dissimiliter atq; in
illis) sæpe resplenduit. Quanta Socratis tolerantia fuit! quan-
ta Papiniani Jcti constantia, qui vitam amittere, quàm defen-
sione injusti parricidij conscientiam suam ledere, maluit.

XLIII.

Atq; hujusmodi Heroas Divinitus excitari, & reliquo homi-
num generi indulgeri, cum Platone, alijsq; Sapientibus rectè sta-
tuimus. Vereq; dictum apparet ab Oratore Romano: Nemi-
nem magnum sine afflatu divino unquam fuisse.

XLIV.

Etenim ut asini non ab asinis, aut à bove boves in pascua aguntur ac reducuntur regunturq̃, sed ab homine, cujus natura præstantior: ita & ipsam hominum societatem non à communis sortis ac vulgaris nota hominibus, sed ab heroibus, qui natura, animi ingenijq̃ dotibus antecant alios, regi defendiq̃ necesse est.

XLV.

Et licet virtus heroica sit ab afflatu divino, non tamen omninò tollitur disciplina & assuesfactio, quarum illà factus quasi virtutis in animo discens perficitur, hæc velut in avras elicitur idem.

XLVI.

Ad communem ergo virtutem si accedat motus singularis, seu afflatus divinus, quo mens reddatur perspicacior, & voluntas excitator, tunc Heroica virtus existit: motu videlicet illo singulari alias causas non abolente, sed adjuvante.

XLVII.

Vis autem illa Heroica duabus rebus maximè elucet: 1. Acerimo ad res præclaras gerendas impetu, quo sic efficiuntur ac veluti rapiuntur, ut nullis nec conviviis, nec amoribus, nec voluptatibus inde avocari vel abstrahi se patiantur.

XLVIII.

Deinde admirabili successu gerunt omnia, cum quod DEUS ipsis ob virtutis similitudinem & quasi cognationem impensius favere videatur, tum quia sunt tanquam organa quaedam divina, ad bonum publicum destinata.

XLIX.

Huic tam excellenti virtuti opponitur ab Aristotele Incontinentia, seu immanitas quaedam morum, similis feritati belluarum; quibus ut rationis expertibus vitia objici aut exprobari non solent. Unde feritas hujusmodi, cum morbo ex corruptione
sempe.

et temperamentum profecto ferè conjuncta, licet magis horrenda videatur, quàm morum malitia: hac tamen illà longè est deterior, quum magis nocere possit.

L.

Homines enim improbi quum ratione, (quamvis corruptâ,) utantur, varios excogitare possunt aliis insidiandi modos, velut improbitatis exercenda arma. Furiosi autem et immanes, mentis rationisq; impotes, certè inopes, ab istiusmodi armis destituuntur, dum caco impetu in alios feruntur, ac sibi met ipsis nocumentum atq; exitum sepiùs inferunt.

LL.

At per se considerata feritas, quatenus exuberantia est malitiæ seu vitij moralis; omninò deterior est vitio: siquidem in summo et excellenti gradu peccat, tanquam laxatis omnibus effusa malitiæ frenis. Quævis obstinata planèq; Diabolica nequitiâ ac petulantia fuit (opinor) in Lycaone, Phlegia, Tantalò, Phalaride, &c. quibus annumeremus illud Christiani nominis rege Jæquæ Hætionem, Episcopum Moguntinum, qui multos aliquando mendicos horreo conclusos crudeliter combussisse, ac eorum miserabilem ejulatum murium voci æquiparasse scribitur.

Corollaria.

1. An Magnanimitas et Magnificentia, ut eminentiæ Modestia et Liberalitatis, sint virtutes Heroicæ dicendæ? Resp. De illâ affirmamus simpliciter: de hac verò non nisi cum distinctione.

2. Utrum Iracundia sit honestior et melior cupiditatum incontinentiâ, an verò turpior et deterior? Illud aff.

B 3

3. An

3. *An Virtutes heroica, Christiana religioni detrahant; quod Machiavellus statuit? Neg.*

4. *An homo naturâ pronior sit ad virtutem, an ad vitia? Hoc affirm. ὡς θεὸς τὸ πῶλον.*

5. *Utrum plus conferat ad virtutis studium Doctrina, an Educatio? Hoc affirm. ex Ethic. lib. 2. cap. 1. & 2.*

His addimus ista Logica.

1. *An Locus à Ramais rectè locetur inter Subjecta?*

2. *An Divisio sit locus argumentationis Dialectica?*

3. *An Notatio & Conjugata sint propriè Loci Dialectici?*

4. *Relata, quâ sunt Relata, an rectè inter Dissentanea referantur?*

5. *Quarta figura Syllogismorum sitne repudianda? Negabimus.*

Grammatica.

1. *Sitne eadem hodiè, quæ Veterum fuit, Grammatica?*

2. *Sintne quatuor partes Grammaticaessentiales?*

3. *Sitne*

3. Sintne dua ista Ramæorum, Etymologia & Syntaxis, vera partes essentialès Grammatica?

4. Sintne Grammaticis nostris omnes in numero Litera: & num rectè distributa?

5. Sitne probanda satis ista vulgaris, quæ hæctenus in Scholis plerisq; omnibus usitata est, Grammaticam pueros docendi ratio?

Negabuntur omnia, non sine rationibus firmis
& evidentibus.

Adjicimus etiam hoc:

Verane sit vulgo usitata Græcarum literarum pronuntiatio? Resp. Falsissima. Nam si vera & iusta ea est (ut è re natâ rei absurditatem demonstramus) poterit hac dictio, (ιδιότυπα) quæ respondet Latina, proprietati, plusquam triginta quatuor modis scribi, salvâ tamen pronuntiatione. Eadem absurditas in sexcentis aliis vocibus nullo negotio ostendi ac deprehendi potest.

Ad



Ad Ornatissimum Juvenem


DN. IOHANNEM Neuzen/
De Ethicis disputantem.

EPIGRAMMA.

Quo te nunc adeam, REUTZI, dulcissima cura
 Semper amicorum, carmine: quæve feram
 Vota tibi? mihi non concessa Poetica vena est,
 Me nec Castalijs Musa rigavit aquis.
 Clara fatis, quam proponis, res ipsa: tuumq;
 Ingenium præsens testificatur opus.
 Ergo precor saltem, REUTZI, popularis amate,
 Tam tibi, quam patriæ quò bene cedat opus.
 Multa licet veteres tractentq; agitentq; libellis
 Philosophi, studio discutiantq; suo:
 Hæc inter palmam tamen obtinuisse videntur,
 Quæ MORES formant, expoliuntq; probè.
 Ergo, quod hoc idem, REUTZI, facis, optime; tantum
 Enodare pius sit tibi ut ista labor:
 Declaras, quam sis generosus amator honesti,
 Quam Clari proles sis generosa Patris.
 Ulterius pergas; meritoq; virebit in annos
 Perpetuos tua laus, gloria, fama, decus.
 Et tua te virtus, & honestis dedita rebus
 Vita, gravem faciet, magnificumq; virum.
 Hæc gratanter habe: perges si nobili in usu,
 Metra dabo laudi postmodò plura tuæ.

L. Mj.

CASPARUS VAGETIUS Rostob.



temperamenti profecto ferè conjuncta, licet ma-
deatur, quàm morum malitia: hac tamen illa
rior, quum magis nocere possit.

L.

Homines enim improbi quum ratione, (qua
utantur, varios excogitare possunt aliis insidiam
improbitalis exercenda arma. Furiosi aute-
mentis rationisq; impotes, certè inopes, ab istis
sitiuntur, dum caco impetu in alios feruntur
nocentiam atq; exitum sapius inferunt.

Ll.

At per se considerata feritas, quatenus exuber-
sev vitij moralis: omnino deterior est vitio: siq;
et excellenti gradu peccat, tanquam laxetis or-
titia frenis. Qualis obstinata planèq; Diaboli-
tulantia fuit (opinor) in Lycaone, Phlegia, Tanta
quibus annumeremus illud Christiani nomina-
tionem, Episcopum Moguntinum, qui multos a
eos horreo conclusos crudeliter combussisse, ac eo
ejulatum murium voci equiparasse scribitur.

Corollaria.

1. An Magnanimitas et Modestia et Liber-
ut eminentia Modestia et Liber-
virtutes Heroica dicenda? Resp.
mamus simpliciter: de hac verò
distinctione.

2. Utrum Iracundia sit hor-
rior cupiditatum incontinentiâ,
pior et deterior? Illud aff.

B 3

